



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm  
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,  
Speciatim**

**Coninck, Gilles de**

**Antverpiae, 1623**

Dvb. I. Quid sit supernaturale?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)



ea ita velle : quia omne honestum qua honestum laudabiliter appetimus. Secundò, quia Beati, quorum voluntas semper est rectissima, & nobis pro viribus imitanda, laudabiliter volunt omnia, quæ Deus vult : ergo & nos possumus ea eadem ratione velle. Nec refert quòd ipsi melius quam nos sciant in particulari ratione cur Deus talia velit ; quia vt nos eadem honestè velimus, sufficit nos in genere scire, Deum habere honestissimas rationes, cur ea velit, & nos ob eandem ea velle.

222 Ad argumentum contrarium, Respondeo, etsi non possim absolute velle, vel me, vel alium carere gratia aut damnari, &c. sed, vt iam dixi, tenere ea pro viribus impedire quamdiu impediri possunt ; tamen laudabiliter volo, siue me, siue alium peccatorem, qua talem siue in sensu composito carere gratia, & morientem in peccato mortali damnari, quatenus hoc & per se iustum est, & vile ad diuinam iustitiam ostendendam ; qua sola ratione Deus ea vult.

223 Aliquos autem à latronibus occidi, ciuitates

euerti, &c. Deus communiter nō vult positiuè, sed vult solum permittere, aut solum vult sub conditione, scilicet nisi licita via impediatur, vt dixi dub. 16. conclus. 3. Quare nec nos possumus ea licitè absolute velle, quia caritas postulat, vt ea pro viribus impediamus, saltem quoties hæc illicitè ab hominibus inferuntur. Quòd si nobis certò constaret (quod sine particulari reuelatione fieri nequit) Deum talia absolute omnino decreuisse fieri, possemus eadem sub eadem ratione velle, & illicitè vellemus ea absolute impedire, vt dixi dub. 16. conclus. 4. Possemus tamen etiam eo casu in periculo patriæ, quantum sine alterius iniuria id fieri posset, præstare ea omnia, quæ alijs ad id auertendum viderentur vitia ; non quidem ex intentione id verè auertendi (hoc enim sciremus esse impossibile) sed vt ostenderemus animi affectum & studium in patrem & patriam. Seculo tamen scandalo ad hoc non teneremur, quia sciremus esse inutile.

## DISPUTATIO IV.

### An dentur actus verè supernaturales?

#### D V B I V M I.

##### Quid sit supernaturale?

1 **H**æc difficultas primò nobis est explicanda, vt possumus actu ac habituum supernaturalium naturam conuenienter explicare. Eius autem intellectio admodum utilis, atque adeò necessaria est, vt possumus varias tam theologicas, quam etiam philosophicas materias exponere : ideoque varii variis locis eam attingunt, strictim tamen, nec eam exhauriunt. Quare statui eam hic quantum potero, totam clare exponere.

2 Pro quo Nota Primò, tam ex ipsa voce, quam communi Doctorum consensu constare, *supernaturale* connotare respectum quemdam ad aliud : idem enim est ac supra naturam. cum autem hoc possit variè accipi, difficultas est ad quid dicat hunc respectum.

Secundò, quia i. prologi, §. *Ad questionem igitur*, docet, *supernaturale* solum dicere respectum ad virtutem productiuam, non autem ad subiectum : siue ideo præcisè aliquid dici *supernaturale*, quia superat vires alicuius agentis ; non autem quia est supra exigentiam subiecti. Probat Primò, quia omnis potentia subiecti ad actum siue formam aut est naturalis, aut violenta, aut neutra ; vel potius receptio formæ respectu subiecti, aut est naturalis aut violenta, aut neutra : ergo nulla est *supernaturalis*. Probat Secundò, ibid. paulò superius. Quia D. August. lib. 1. de Prædest. cap. 5. ait, posse habere fidem, esse naturæ ; habere, esse gratiæ : ergo habitus fidei prout respicit potentiam receptiuam siue subiectum, non est *supernaturalis*.

Coninck de act. supernat.

Communior tamen Theologorum sententia cum D. Thoma 1. p. qu. 12. a. 4. ad 3. docet, virtutes theologicas, sicut etiam lumen beatificum, & similia accidentia nobis infusa esse *supernaturalia*, etiam respectu potestatis in qua recipiuntur. Ita Cateran. 1. p. q. 1. a. 1. Bañez q. 12. a. 5. dub. 2. ad 2. Vázquez disp. 44. c. 1. & disp. 214. c. 2. Turrianus de fide, spe & caritate, disp. 46. dub. 1. & 2. & alii. Vnde hi Auctores docent *supernaturale* in genere dicere duplicem respectum ; scilicet ad virtutem productiuam, & ad subiectum susceptiuum. Priore modo aiunt esse *supernaturale*, quod superat omnem virtutem agendi, quæ sit ordinis naturalis, ita vt à nulla creatura ordinis naturalis, virtute propria cum solo concursu Dei generali produci possit. Secundo modo aiunt dici *supernaturale*, quod est supra naturalem exigentiam cuiusvis subiecti, siue quod nullum subiectum naturaliter exigit sibi infundi.

Sed hæc patiuntur difficultatē. Primò, quia hinc sequetur omne violentū fore *supernaturale* respectu subiecti patiens, quia hoc illud nullo modo exigit sibi infundi, siue in se produci.

Dices Primò, etsi hoc secundum se spectatum illud non exigit, exigit tamen illud ratione causarum efficientium violentiam, ad quam actionem illius formæ violentè productæ receptio naturaliter consequitur. Sed contra Primò, hinc solum sequitur illud violentum esse naturale respectu causarum agentium, non autem respectu subiecti, cui id etiam in his circumstantiis mapet violentum & ipsius naturæ repugnans, & consequenter hoc illud nullo modo exigit. Secundò, quia simili modo Deo volente animæ infundere lumen gloriæ, ipsa

F

ratione



ratione illius circumstantia, siue causa efficiens exigit illud sibi infundi: ergo respectu ipsius illud lumen non erit in his circumstantiis supernaturale.

5 Dices Secundo, subiectum illud solum dici naturaliter exigere quod in eo per causas creatas potest produci; non autem illud quod solus Deus ei potest infundere, qui est super omnem naturam, ideoque agens supernaturale. Sed contra Primò, iam ostendi subiectum numquam verè posse dici exigere aliquid accedens violenter in se productum, cum ipsius productioni quantum potest resistat. Secundo, quia inde sequitur, supernaturale propriè & præcisè loquendo solum dici respectu virtutis productivæ: quia secundum illam responsionem tota ratio supernaturalitatis tandem in eo præcisè consistit, quod aliquid viribus naturæ produci nequeat; atque ita vera erit illa sententia Scoti.

6 Secundo, supradicta patiuntur difficultatem, quia non comprehendunt, nec explicant supernaturale generatim sumptum: nec enim ex iis intelligi potest quare concursus Dei particularis, quo cum causa secunda concutitur ad effectum supernaturalem, sit potius supernaturalis, quam concursus generalis, quo Deus ad omnes nostras actiones concutitur. Item quare conservatio accidentis extra subiectum sit potius supernaturalis, quam eiusdem conservatio in subiecto, quando in eo à solo Deo conservatur; sicut conservatur albedo in pariete. Nec enim priora possunt dici supernaturalia, respectu subiecti ea naturaliter non exigentis; quia cum in nullo subiecto recipiantur, non possunt vllum subiectum ea ratione respicere, nec etiam quia superant vim causæ creatæ: quia etiam concursus generalis quo Deus res omnes conservat, & cum causis secundis producit ea omnia quæ hæc producunt, superat omnem vim causæ creatæ.

7 Quidam alii dicunt tunc aliquid fieri naturaliter quando fit secundum naturalem rerum ordinem. sed his tunc laborandum est ut expli-cent quis ordo dicendus sit naturalis, quis verò supernaturalis. Dices eum ordinem esse naturalem, quia à Deo initio fuit institutus, & communiter in rerum productione & conservatione servatur. Sed contra hinc sequetur, si Adam non peccasset statum innocentie homini futurum fuisse naturalem: quia is fuerat initio à Deo constitutus, & fuisset communiter cum homine servatus. Item inde sequeretur, monstra generari supernaturaliter, quia non sunt secundum illum ordinem. Nec sufficit dicere ea generari nec secundum ordinem naturæ, nec etiam supernaturaliter, sed solum præter ordinem naturæ. nam inde sequeretur, illam definitionem ordinis naturalis, prout opponitur supernaturali, non fuisse sufficientem. nam ordo naturalis, prout opponitur supernaturali, debet complecti omnem ordinem non supernaturalem: aliàs enim ex eius definitione non poterimus cognoscere, quid debeat dici supernaturale. Si dicas eum ordinem esse naturalem, qui secundum naturalem naturæ exigentiam est institutus; iterum tibi erit explicandum quæ

naturæ exigentia sit naturalis, quæ non. qua in re consistit tota difficultas, ut iam ostendi.

Pro resolutione Nota Secundo, aliquid posse dici supernaturale Primò, solum respectu particularis alicuius agentis, cuius vires superat, sic putero supernaturale est ingès pondus levare, quod viro esset naturale. Secundo, absolute, quod omnes creaturæ vires ad exigentiam superat. & de hoc hic maxime agimus.

Nota Tertiò, aliquid tripliciter posse dici alteri naturale, seu connaturale. Primò, quia ipse natura conveniens est, cui opponitur non supernaturale, sed noxium siue naturæ repugnans. sic frigus est aquæ naturale, calor noxius. & hæc ratione etiam habitus supernaturales possunt dici naturales ipsi potentie; quia ipsi admodum conveniunt. Secundo, quia creaturæ viribus cum Dei concursu generali potest produci: siue per veram efficientiam, quæ ratione calor producit calorem; siue per quamdam emanationem aut resultantiam, quæ ratione secundum quoddam potentie ab essentia, & relatione à fundamentis emanant. Tertiò, id dicitur rebus creatis naturale, quod necessariò exigunt ut possint secundum se, aut secundum suam speciem conservari, aut aliquid aliud producere; siue sine quo nullo modo possunt aut agere, aut in rerum natura conservari, & suo modo perpetuari: hoc enim tamquam sibi omnino necessarium dicuntur naturaliter exigere. Quia ratione concursus Dei generalis est rebus omnibus creatis naturalis, quia sine eo nec existerent, nec etiam quidquam agere possunt. Et his duobus modis opponitur supernaturale, & ex iis erit facile hoc definire.

CONCLUSIO. Illud dicitur absolute supernaturale, quod creaturis ordinis naturalis (qualis, ut ex dicendis patebit, est omnis substantia creata, & omne accidens huic secundo aut tertio modo ex dictis naturale) nec secundo nec tertio modo est naturale, siue quod nec viribus alicuius creaturæ, quæ sit ordinis naturalis, cum solo concursu Dei generali produci potest, nec rebus creatis absolute, siue generatim, & abstractendo ab his & illis circumstantiis est necessarium ut possint secundum se aut secundum suam speciem in rerum natura conservari. Hæc aperte sequuntur ex dictis, & patent vel ex ipso nomine *supernaturale*, quod significat id, quod est absolute supra naturam; illud autem est absolute tale. Confirmatur, quia illa definitio complectitur omnia, quæ constat esse absolute supernaturalia, & excludit ea omnia, quæ constat non esse talia, ut patet discurrenti per singula, & ex dicendis magis apparebit.

Dixi, *quæ sit ordinis naturalis*, quia, etsi (ut infra ostendam) intellectus illustratus lumine gloriæ, huius auxilio cum solo Dei concursu generali producat visionem beatificam, atque ita hic effectus possit totali illi causæ dici connaturalis, ut docet Bañez 1. p. q. 12. a. 5. dub. 2. ad 3. tamen debet absolute dici supernaturale, quia ratione luminis beatifici illa causa est simpliciter ordinis supernaturalis: atque ita ille effectus absolute omnem vim causæ naturalis superat.

Hinc sequitur Primò, supernaturale necessariò

Omne non supernaturale potest dici naturale.

Supernaturale aliud secundum quid aliud absolute.

8 Unum aliter tripliciter potest esse naturale.

Quomodo supernaturale opponitur naturali.

9 Quid sit supernaturale.

10

Bañez.

11



rid dicere aliquem respectum ad aliquid respectu cuius sit supernaturale, vt communiter etiam ferè omnes fatentur, & ex ipso nomine patet.

Secundò, nullam substantiam posse dici supernaturalem: quia substantia ex se dicitur aliquid absolutum omnino, nec vllum respectum connotat. vt patet in nomine Angelus, Homo, &c. supernaturale autem dicit aliquid respectuum. Similiter et si substantia verè dicitur natura, tamen non potest propriè dici naturalis, quia hoc etiam dicit aliquid respectuum, & quod alicui naturale est.

Parent hæc clarè discurrenti per singulas substantias. v. c. angelus nulli est naturalis aut supernaturalis; idemque est de homine, bruto, &c. hoc autem intelligendum est de substantiis integris & perfectis; nam quæ significantur per modum partis, vt forma, oculus, manus, &c. Item modi substantiales, vt subsistentia, vno hypostatice, &c. cum ex se significant respectum ad aliud, possunt alicui esse naturales, aut supernaturales.

Ex quo etiam patet, etsi Deus hoc sensu possit dici substantia supernaturalis, quatenus est supra omnem naturam creatam aut creabilem, tamen eum non posse ita vocari eo sensu quo aliqua accidentia, aut actiones dicuntur supernaturalia; quia Deus non dicit aliquid respectuum.

12 Sequitur Tertio, *esse supernaturale*, propriè conuenire actioni (quia hæc expressè dicit respectum ad virtutem actiuam, cui est supernaturalis) & accidenti, quia hoc ex se dicit respectum ad subiectum ad cuius perfectionem natura sua ordinatur. Quædam autem accidentia sunt cuius subiecto, atq; ita absolutè supernaturalia: quia, vt ostendam dub. 2. quædam sunt quæ nec vlli subiecto sunt generatim absolutè necessaria, vt possit aut in rerum natura conseruari aut sibi proportionata agere, nec viribus vllius creaturæ possunt produci: talia sunt lumen gloriæ, habitus caritatis, &c.

Quædam accidentia sunt absolutè supernaturalia.

Concursum Dei generalem esse creaturis naturalem, quia sine eo nec conseruari nec quidquam agere possunt: secus est de concursu Dei particulari, quo Deus cum potentia carente habitu infuso concurrat ad actum supernaturalem: quia potentia sine tali concursu potest absolutè conseruari, & aliquid agere, scilicet actiones sibi connaturales producere.

13 Quintò, conseruationem accidentis extra subiectum ideo præcisè esse supernaturalem, quia illud nulla virtute creata cum solo Dei concursu generali potest ita conseruari: atque adeò si virtute creata cum solo Dei concursu generali posset ita conseruari, siue, si posset eodem influxu conseruari extra subiectum quo conseruatur in subiecto, sequeretur eius conseruationem extra subiectum non fore supernaturalem. Quia cum hic influxus sit ei absolute necessariùs vt possit in rerum natura conseruari, ei absolute est connaturalis, atque ita eo casu posset cum solo influxu sibi connaturali extra subiectum conseruari, & consequenter naturaliter.

Coninck de act. supernat.

Quod autem aliqui dicunt eundem influxum, qui ei est connaturalis existenti in subiecto, esse ei supernaturalem existenti extra subiectum, sine fundamento dicunt, cum, vt patet ex definitione *supernaturalis*, nullà possint reddere rationem cur idem influxus in vno statu sit ei magis supernaturalis, quàm in alio: aut cur eum in vno statu magis exigit, quàm in alio: vt fufius ostendi tom. 1. de Sacramentis q. 77. a. 1. n. 19. atque inde meritò intuli opus esse singulari ac supernaturali Dei concursu vt accidens ita conseruetur.

Sextò, infusionem animæ rationalis in corpus humanum ad eiusdem susceptionem vltimò dispositum, etsi sola Dei animam creatis virtute fieri possit, debere tamen dici naturalem: tum quia dispositio illa corporis eam exigit (nam hæc & à natura ad eam ordinatur, ita vt alias tam ipsa materiæ eiusmodi dispositio, quàm vis generatiua in homine omnino frustra à natura esset instituta, & sine ea conseruari naturaliter non potest) tum etiam quia omnino necessaria est ad hominum generationem ac speciei conseruationem, non minùs quàm concursus Dei generalis.

Septimò, quædam esse supernaturalia secundum substantiam, quæ scilicet ad creaturarum conseruationem non sunt necessaria, & secundum se spectata, ac seclusis omnibus circumstantiis eorum productionem difficiliorem reddentibus, à nulla virtute creata, quæ sit ordinis naturalis, cum solo Dei concursu generali produci possunt. qualia sunt lumen gloriæ, visio beatifica, &c. Alia verò solum esse supernaturalia secundum modum, quæ scilicet absolutè naturali virtute cum Dei concursu generali fieri possunt, non tamen eo modo quo de facto fiunt. qualis est productio aut conseruatio accidentis extra subiectum, instantanea curatio grauis morbi, &c. quæ vt sit fiant specialem Dei concursum requirunt.

Octauò, tam supernaturale, quàm etiam naturale, prout huic opponitur, generatim sumpta dicere quadruplicem respectum. Primò, ad virtutem productiuam, cui dicitur naturalis omnis effectus, quem cum solo Dei concursu generali potest producere; & ille effectus dicitur supernaturalis, ad quem producendum necessariò requirit specialem Dei concursum aliudue auxilium supernaturale. Ex quo vterius infertur, etsi substantia qua talis, nec sit naturalis, nec supernaturalis, quia vt sic nō dicit respectum, tamen quatenus significatur nomine effectus, eam alicui esse naturalem, aut supernaturalem, quia vt sic dicit respectum.

Secundò, ad subiectum in quo recipitur, cui hac ratione potest dici naturalis omnis forma, quæ virtute naturali in ea potest produci; propriissimè tamen ei dicitur naturalis in fusio formæ, quam subiectum, siue materia ad eius receptionem vltimò disposita ad sui aut speciei alicuius conseruationem naturaliter exigit; iuxta dicta n. 8. Qua ratione infusio animæ rationalis embryoni vltimò disposito est naturalis, vt ostendi n. 14. Ea verò forma, eiusque infusio dicitur subiecto supernaturalis, quia ita non exigit,

F 2

quæ.

14 Infusio animæ in corpus cur sit naturalis.

Quæ sint supernaturalia secundum substantiam.

quæ secundum modum.

15 Supernaturale ac naturale quadruplicem dicunt respectum.

Quid cuius rei debeat dici supernaturale, aut naturale.

Productio substantiæ est naturalis aut supernaturalis, non tamen ipsa substantia.



quæque virtute naturali in eo produci non potest.

Tertio, ad concausam: sic concursus Dei generalis omnibus causis secundis est connaturalis; particularis verò, quo ad effectum earum virtutem superantem eleuantur, est supernaturalis.

Quarto, ad terminum: sic influxus Dei, quo res omnes in statu ipsis connaturali conseruat, est his naturalis; particularis verò influxus, quo quædam extra statum ipsis connaturalem, v. c. accidens extra subiectum, conseruat, his est supernaturalis.

16  
Quæ actio sit superna-  
turalis.

Nonò, sequitur actionem propriè ac præcisè dici supernaturalem, quia superat virtutem agentis, siue quia ab agente naturali sine auxilio ipsi supernaturali nequit produci. Atque ita ideo aliquem actum esse absolutè secundum suam substantiam supernaturalem, quia à nullo agente ordinis naturalis cum solo Dei concursu generali potest produci. Ideò verò aliquem esse solum supernaturalem secundum modum, quia secundum suam substantiam, si nullum aliunde sit impedimentum, potest ab agente ordinis naturalis cum solo concursu Dei generali produci, non tamen eo modo, quo de facto producitur. talis est productio accidentis extra subiectum. Patent hæc, quia actio, qua actio, propriè & intrinsecè dicit respectum ad virtutem agentis: ergo eatenus propriè dicitur naturalis, quatenus est intra virtutem agentis naturalis, ita vt ab eo produci naturaliter possit; & eatenus dicitur supernaturalis, quatenus est supra talem virtutem, ita vt ab ea cum solo auxilio naturaliter ei debito, produci nequeat. nec refert quòd actio etiam dicit respectum ad terminum sibi intrinsicum; v. c. productio caloris ad calorem: quia respectu huius non potest aliter dici supernaturalis, quam quatenus hic in tali statu producitur aut conseruatur, in quo virtute merè naturali produci aut conseruari nequit. atque ita tota ratio supernaturalitatis tandem refunditur in dictum respectum ad causam producentem.

17

Addunt his aliqui, habitus per se infusos alia ratione dici supernaturales respectu potentie cui infunduntur, quia nimirum hæc debet eleuari, vt eos possit sustentare. Pro quo notant, aliud esse formam subiecto aut materie vniri, aliud verò eam ab hac sustentari: nam anima rationalis vnitur materie, & tamen ab ea non sustentatur, quia hoc in forma aliquam dependentiam, ac in subiecto aliquam actionem significat. Ideoque volunt subiectum naturale debere supernaturaliter eleuari, vt possit sustentare formam supernaturalem: quia aliàs aliquid supernaturale dependeret à naturali; quod aiunt absurdum esse.

Quid sit formam sustentari à subiecto.

Sed hæc non videntur posse dici. Primò, quia formam aliquam vniri subiecto, eamq; ab hoc sustentari, non dicit diuersitatem ex parte subiecti, sed ex parte forme: hanc enim à subiecto sustentari solum dicit eam ita vniri subiecto, vt propter suam imperfectionem, siue quia nequit per se subsistere, nequeat naturaliter existere sine ea vnione; atque ita existat depen-

denter ab ea vnione: quare hic nulla est propriè efficientia ex parte subiecti. Secundò, quia satis apertè repugnat D. Augustino loco citato n. 2. si enim potentia vt fides ab ea recipiatur, siue sustentetur, indigeat ex parte sua eleuari, non magis erit naturæ posse habere fidem, quam sit naturæ posse producere actum fidei; quia natura eleuata vtrumque poterit, non eleuata neutrum. Tertio, quia videtur apertè falsum rem supernaturalem non posse pendere à re naturali: nam nostra actio supernaturalis producitur immediatè ab auxilio supernaturali & potentia naturali, vt ostendam disp. 5. dub. 5. ita vt potentia considerata secundum vires suas naturales sit causa partialis illius actus supernaturalis, atque ita hic necessariò pendet ab aliquo naturali, & quidem vt à causa efficiente, atque etiam vt causa materiali siue subiectiua, quia in ea totus recipitur. Quare cum Vasquez 1. part. disp. 174. n. 10. dicendum est hanc receptionem siue sustentationem habitus supernaturalis non aliter esse potentiam supernaturalem, quam quia eam nec naturaliter exigit, nec viribus naturæ acquirere potest.

Ex his est facilis responsio ad argumēta Scoti. Ad primum, respondeo eam diuisionem non esse plenam, nisi addatur, aut *supernaturalis*, vt patet ex dictis n. 8. Ad secundum, Respondeo August. ibi non dicere, nos naturaliter recipere fidem (imò apertè hoc negat dum docet nos eam per gratiam Dei habere) sed solum nos naturaliter esse tales, siue habere tales potentias, scilicet intellectum & voluntatem, quæ ex se naturaliter apte sunt recipere in se fidem & caritatem, si quis has iis infundat; siue si quod agens siue naturale, siue supernaturale has in iis producat. Cum quo optimè consistit, quòd harum receptio siue infusio sit illis potentiis supernaturalis, quatenus nec iis naturaliter debita est, nec virtute naturali fieri potest. Et forte Scotus nihil aliud voluit, quam negare id quod docet sententia relata n. 17. & in eo sensu faciliè explicari & defendi posse.

## D V B I V M II.

*Virum visio beatifica & amor patriæ sint in sua substantia omnino supernaturales?*

Beguardi id olim negarunt, vt patet ex quinto eorum errore olim damnato in Concilio Viennensi, relato Clementina *Ad nostram*, de hereticis. quo illi asseriebant quòd qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodq; anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad videndum Deum, & eo beate fruendum. Quamuis si ipsorum error & intentio ex adiunctis bene consideretur, ipsi videantur potius negasse nos posse verè intuitiue videre essentiam Dei, aut saltem Beatos in celo eam de facto videre. nam errore quarto apertè docent, nos in hac vita posse tam perfecte assequi beatitudinem, atque in altera, quare videntur Beatos solum concedere cognitionem quamdam Dei abstractiuam, qualem hic habent perfecte contemplatiui, dum intensa contemplatione toti in Deum feruntur. In eiusmodi

19  
Beguardi.  
Clementina.

Quid sentiat Beguardi de visione beatifica.